



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Apostolis, cap. 55.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

rum Henricum esse liberandū: q̄ ita factum intelleximus. Nam Prior noster, per quem transmissus est, in flumine Rheni illius beneficio maximum euasit periculum. Henricus comes Seynensis, habens militem honestum, sed mente captum, cum eo ad nos venit, sperans illum tum virtute reliquiarum, tum beneficio orationum nostrarum posse sanari; qui dente sacratissimo signatus & tactus, tam cœlestem virtutis eius sensit effectum, ut vix ad iactum balistæ de monasterio progrediens, se sanatum gratularetur. Est enim, ut supra dixi, magnus & fortis, & tanto magis ad curandas infirmitates validus, quanto minus in masticandis cibis delicatis est vsitatus. Hæc dicta sint de prophetis. De Apostolis verò, qui ordinem propheticum sequuntur tempore, aliquas tibi subjungam visiones. **APOLLONIVS:** Prius volo mihi exponi, quare à Christo Apostoli sub duodenario numero sint electi, & quare Apostoli vocati. **CAESARIUS:** Vtrumque non absque magno sacramento factum est.

## CAPVT LV.

**S**icut dicunt Euangelia, Christus ascendens in montem, vocauit ad se quos voluit, quos & Apostolos nominauit: Apostolus interpretatur missus, teste Christo, qui ait: Non est Apostolus major eo, qui misit illum. Bene autem duodecim sunt vocati, qui alijs mysteria fidei prædicarent, quia duodenarius numerus constat ex quater tribus, vel ex ter quater. Ad hoc ergo duodecim sunt electi, ut per quatuor partes mundi missi, fidem sanctæ Trinitatis omnibus nunciarent, & credentes ad vnam gloriam æternæ beatitudinis conuocarent. Duodecim Apostoli, duodecim sunt signa cœli, duodecim menses anni, duodecim horæ diei, duodecim stellæ in corona sp̄sæ. Christus verò cœlū est, ann⁹ æternitatis est, lux est, corona sanctorū est. Apostoli xij. sunt filij Iacob, id est, Christi; duodecim fontes deserti, duodecim lapides in veste p̄tificiali, duodecim panes propositionis; duodecim lapides altaris, duodecim lapides de Iordane sublatis, duodecim boues sub eneo mari, duodecim fundamenta cœlestis Hieru-

*Apostoli  
cur sic dē  
cti, &  
duode-  
cim sint  
electi.*

*Luca 6.  
Ioan. 13.*

*Apoc. 12.  
Gen. 35.  
Exod. 15  
28.*

*Leui. 24.  
Iosue 4.  
Exod. 24  
3. Reg. 7.  
Apoc. 21.*

Hieru-



108 DE DIVERSIS VISIONIBVS

Hierusalem. APOLLONIVS: His vtiliter premissis, nunc  
secundum ordinem subnectas visiones. CÆSARIVS:  
Licet sancti Apostoli per visionem multis appareant,  
& multa per eos miracula quotidie fiant, de paucis  
tamen pauca tibi referam, sed quantum ad exemplum  
sufficiantia.

CAPVT LVI.

*Visiones  
de SS. A.  
postolis,  
& primo  
de sancto  
Andrea.*

**C**onsuetudo est, maximè prouinciæ nostræ ma-  
tronis, vt tali sorte specialem sibi Apostolum e-  
ligant; in duodecim candelis duodecim Apo-  
stolorum nomina, singula in singulis scribuntur, qua  
à sacerdote benedictæ, altari simul imponuntur: ac-  
cedens verò femina, cuius nomen per candelam extra-  
hit, illi plus careris & honoris, & obsequij impendit.  
In hunc modum cum quædam matrona sanctum An-  
drea extraxisset, & non ei placuisset, reposita cande-  
la alium habere voluit, sed iterum idem occurrit: quid  
plura tandem traxit sibi placentem; cui cum multum  
exhibuisset obsequij, per omnes dies vitæ, & ad extre-  
ma perueniens esset moritura, non illum, sed beatum  
Andream sibi assistere vidit; En, inquit, ego sum ille  
despectus Andreas. Ex quo colligitur, quod nonnun-  
quam sancti etiam vltro se ingerunt humanæ depo-  
sitioni. Quantum beatus iste Apostolus se inuocanti-  
bus succurrere valeat, sequens narratio declarat.

CAPVT LVII.

**E**rant duo iuuenes iuxta ecclesiam sancti Andree  
habitantes, qui pro suis mercationibus remotas  
prouincias petere solebant: tempore quodam,  
cum profecturi essent in Norwegiam, frater Reine-  
rus monachus noster, tunc Canonicus sancti Andree  
in Colonia, sicut ipse mihi retulit, quinque solidos il-  
lis dedit, petens vt ex eis compararent pellem vrsi al-  
bam, quales regio illa gignit, ad substratorium coram  
altari sancti Andree. Quod cum fecissent & reuerto-  
rentur, tanta orta est in mari tempestas, vt omnes mite-  
reret in desperationem. Hoc ideo factum reor, vt Do-  
minus Apostoli sui virtutem ostenderet. Recordari  
verò prædicti iuuenes pellem sancti Andree, contra  
procel-